



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXLIV. De Aedificatione castri Starkenberg & morte plurium  
Christianorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gener. Ord. Teut.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Provincialis Prussiae.

bastilidum, in quo plures ex utraque parte fuerant vulnerati. Quo facto accesserunt ad Civitatem Sanctæ Mariæ, & post longam & duram impugnationem iterum ipsam penitus destruxerunt, quibusdam fugientibus ad Castrum, aliis in quodam pugnaculo Civitatis se defendantibus salvati sunt, ceteri capti sunt & occisi.

## CAP. CXLIV.

### *Ædificatione castri Starkenberg & morte plurium Christianorum.*

**H**oc tempore Frater Anno Magister generalis Ordinis dominus Teutonicæ mandavit Magistro & Fratribus de Prussia, ut castrum in terminis Colmensis & Pomesaniensis diœcesium super Ossam ædificarent. Ipse enim castris vellet abundantanter in necessariis providere. Ad cuius ædificationem Magister multum populum convocavit, & dum quilibet ibi in officio sibi injuncto laboraret, supervenit exercitus Pruthenorum improvisè & totam illam multitudinem interfecit. Sed longè postea iterum Magister populum convocavit, & tunc ædificationem dicti castri per Dei gratiam consummavit, vocans ipsum (a) Starkenberg, quod latinè dicitur, fortis mons, & multos fratres & armigeros ad ejus custodiā deputavit.

### ANIMADVERSIO.

(a) Castellanus sive Praefectus ejus arcis videtur primum obtinuisse locum inter Praefectos arcum. Cum enim ex more omnes Magistratus Ordinis Teutonici in Prussia singulis annis officii sui insignia adeoque ipsa officia in manus superiorum Magistratum seu Praeceptorum majorum traderent, Castellanus Starkenbergensis simul

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus à Tierberg IX. Mag. Prov. in Prussia

simul cum Magistratibus superioribus seu Praeceptoribus Majoribus non nisi coram ipso Magistro generali se suo Magistratu abdicare, insigniaque ejus tradere jubetur. Deinde aliū Praefecti arcum communiter in Consuetudinibus Ordinis appellantur (ut & olim vulgo appellabantur) *HausComphurs*: Starkenbergen sis verò solus appellatur in allegatis illis Consuetudinibus *Castellanus*. *Vid. Consuetud. nam.*

## CAP. CXLV.

*De*  
*Expugnatione castri Starkenberg, &*  
*morte plurium fratrum & Christiano-*

*rum.*

**P**RUTHENI audientes dicti castri ædificationem, indignati sunt, & cum valido exercitu obsederunt: Sed frater Conradus de Blindenburg exiens ad eos in prælium, vulneratus fuit V. vulneribus ad modum V. vulnerum Christi, & occisus, pro quo ipse Domino saepius cum lachrimis supplicavit. Deinde Prutheni vallantes undique castrum ad impugnationem, hostiliter processerunt. Fratres ex adverso se opponentes multos Sagittis occiderunt, & lethaliter vulnerabant. Tandem Prutheni provocati in iram, elegerunt potius omnes mori, quam infecto negotio ab obsidione recedere, & accedentes proprius post multorum utriusque partis occisionem, dictum castrum expugnaverunt, & occisis fratribus cum omnibus habitatoribus suis ipsum in favillam redegerunt. Post multos annos postea, dictum castrum translatum fuit super Ossam in Diœcesim Colmensem, & ibi usque ad diem permanet hodiernum.

CAR

Hh 2 CAP.

